



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

17. Januarij. Relinquere Deum propter Deum, magnum lucris spiritualis compendium est, nullum dispendium. S. Ignat. apud Bart. I. 4. §. 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Profundiùs te inspice, quis sis? quod ut scias, Deum cogita; tantùm siquidem de- crescet ambitio, quantùm in te creverit Dei cognitio. O Domine, noverim me, & noverim te!

17. Januarij.

Relinquere Deum propter Deum, magnum lucri spiritualis compendium est, nullum dispendium. S. Iguat. apud Bart. l. 4. §. 37.

AD propria commoda, lucra etiam spiritualia, cæcus esse debet verus amor; irretortò hìc oculò amati unius placitum respicit; aliàs nos, non Deum, amaremus; non donaremus, sed commutaremus; mercenarii, non filii.

Solatia etiam spiritualia, si nostra sunt, suspecta sint. Tantò plùs opus aliquod securitatis, quantò minùs propriæ voluntatis habet. Hanc, etiam sanctam, si deseras propter Deum, sanctiorem implebis.

Non sola nos oratio Deo conjungit; nec illud semper optimum, quod maximum. Illud sanctissimum, quod voluntati Dei magis vicinum.

Si pro domo, ex Dei amore, desertâ hìc

B

cen

centuplum, & ibi vitam æternam pollicetur Deus, quidei daturus est, qui Deum deserit propter Deum? Qui plura dat, plura recipiet.

18. Januarij.

Ad quem virtutis gradum piger per multos annos non potest pervenire, eò modico temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. S. Ignat. in epist. de perfect.

Una dies ferventium plus facit, quam tepidorum longissima ætas, imò una hora bene acta etiam immortalitati otiosorum præferenda. Frustra vivit, qui bene non vivit.

Desidia in spiritu est mors superstes, vigil sopor; nam vacua est vita, quam non implet cura bene vivendi, Tales, cum dormierint somnum suum, nihil inveniunt in manibus suis.

Sacra res tempus est, tantùm vale quantum æternitas: hanc ut beatam obtineat, agendum est, ne sine fructu vita, sine bonorum operum fervore dies, elabatur.

Ab arbore fructus, ab agro segetem expectas, cur fructum tui contemnis? Etsi tu usufructuarius; tu tuimet pretiosum